

s. Thomae quod inter dispositiones, quibus homo se praeparat ad iustificationem, est quoque timor, qui actualem etiam dilectionem Dei praecedat (III. p. q. LXXXV. art. 5). Hic ergo timor, qui est dispositio ad iustificationem, est ne bonus an malus? Nunquam arbitramur s. Thomam collocasse inter dispositiones ad gratiam actum malum: atqui actus timoris, quo poena ut principale malum timetur, est malus, ex doctrina s. Thomae. Est igitur ille timor, quem s. Doctor inter dispositiones collocat, actus bonus, caret proinde ea mala seruitate. Non caret autem propter caritatem proprie dictam, quia ea adhuc deest. Caritas ergo, quam requirit Thomas, est caritas improprie vel virtualis, h. e. amor iustitiae, ut ipse declarat in resp. ad 1. Est nempe ea caritas, ille amor, de quo Augustinus loquitur: nec mirum sit Thomam Augustini doctrinam declarantem, huius locutionibus esse usum: et sic patet sententiam Augustini et Thomae in idem prorsus redire. Cf. De Valentia in hanc quaestionem et Suarez loc. cit.

VI. Nota. Solet quoque in hac quaestione provocari ad doctrinam Ioannis I. IV. 48: *Timor non est in caritate; perfecta caritas foras mittit timorem*: at nullum actum bonum caritas vel perfecta excludit: ergo. Respondeo sensum Apostoli esse quod qui perfecte Deum diligit, non timet ne in die iudicii damnandus sit a Deo, testimonium sibi perhibente conscientia eius, quod Deo seruiat. In hoc perfecta est, ait v. superiore, caritas Dei nobiscum, ut fiduciam habeamus in die iudicii. Non affirmat vero Apostolus quod timor hic a caritate excludatur cum omnimoda certitudine, sed intelligendum est cum ea morali certitudine, cuius nostra conditio est capax. Porro et cum exclusione huius timoris, quae locum habet manente caritate, componitur illud quod abstinemus a peccato etiam ex hoc motivo, ne scilicet incurramus poenam, a qua abhorremus; hic autem est timor, de quo loquimur: ergo.

THESIS XXX.

Attritio ex metu gehennae concepta voluntatem peccandi excludens, cum spe veniae, quod attinet ad dolorem in Sacramento Poenitentiae necessarium, est dispositio proxima et sufficiens ad iustificationem in eodem Sacramento obtinendam: quod ex analysi instituta cap. 4. sess. XIV. Tridentini certitudine theologica colligi potest. Neque ullo pacto huic doctrinae refragatur quod eadem Synodus docet sess. VI. cap. 6.

I. Quidam ex adversariis nostris vel victi argumentis superius allatis, vel magis ac magis sententiam suam confirmare volentes,

cum concesserint vel permiserint attritionem ex metu gehennae conceptam excludere posse voluntatem peccandi, instant adhuc contententes eam nihilominus non sufficere pro iustificatione obtinenda in Sacramento, sed praeterea requiri actum amoris, sine quo vera hominis conversio, quae etiam in Sacramento esse debet, haberi nequit. Iidemque negant sententiam nostram contineri ullo modo capite 4. sess. XIV. Conc. Trid. imo aiunt sententiam suam necessitatis amoris etiam pro Sacramento Poenitentiae clare satis traditam esse ab eodem Conc. sess. VI. cap. 6. Nostrum erit post demonstrationem allatam doctrinae, quam defendimus, eorum argumenta quoad utrumque caput solvere.

Dispositio proxima et sufficiens ea est, praeter quam nihil aliud in subiecto requiritur, ut forma sit. Hic autem forma est iustificatio per Sacramentum obtinenda; erit ergo dispositio proxima et sufficiens ea, praeter quam nihil aliud postulari potest ut per Sacramentum iustificatio obtineatur. Verum rursus adverte, quod actus poenitentis, qui in Sacramento requiruntur, sunt plures; quare cum dicitur quod attritio est dispositio sufficiens, non intelligitur quod ipsa sola sufficiat, exclusis aliis actibus; sed intelligitur quod, quantum attinet ad contritionem, quae est pars poenitentiae et dispositio requisita, sufficit et proxime disponit in Sacramento contritio imperfecta sive attritio ex metu gehennae concepta.

Spes veniae non est actus attritionis, sed est actus attriti, qui attritionem ordinat ad reconciliationem impetrandam, compensatione aliqua etiam ex parte sua exhibita. Hic actus spei vel formaliter vel virtualiter existit semper in eo, qui vere peccatum detestans vult Deo reconciliari, si fidem habet. Fit vero specialis mentio spei ut magis indoles verae attritionis determinetur: sicut enim potest esse aliqua attritio non excludens voluntatem peccandi, ita potest esse aliqua attritio sine spe. Ceterum spes memoratur quoque cum de contritione generatim sermo est, ibid. c. 4.

Nota argumentum nos desumere ex decreto cap. 4. sess. XIV. Perperam vero quis contra argueret, eo quod doctrina nostra nullo sit canone stabilita; qua de re nolumus modo disputare. Decreta enim doctrinam continent fide tenendam. Sane ita, non secus ac in aliis Sessionibus, concludit Tridentina Synodus Decreta sess. XIV.: « Haec sunt, quae de Poenitentiae et extremae Unctionis Sacramentis haec sancta oecumenica Synodus profitetur et docet atque omnibus Christi fidelibus credenda et tenenda proponit. » Porro cum infallibile magisterium aliquid universae Ecclesiae credendum et tenendum proponit, id certe sufficit ut res proposita censeatur esse revelatione contenta.

Adverte deinde nos non contendere definitionem exstare in Concilio nostrae sententiae. Definitio enim foret decretum fidei, cuius verba per se hunc necessario funderent sensum, qui explicite et immediate sive formaliter sive aequivalenter per ea verba exhiberetur. Huiusmodi propositio deest. At contendimus sententiam nostram ex iis sententiis necessario efflorescere et certo colligi, quae explicite et immediate a verbis capitis 4. repraesentantur; quod significamus dicentes sententiam nostram mediate tradi in eo capite. Quod autem certo colligitur ex doctrinis certis fidei, illud est necessario verum, et theologica certitudine constat illud spectare ad depositum fidei. Porro Patres Concilii nolentes aliquam doctrinam explicite et immediate proponere, possunt tamen velle eandem mediate tradere: abstinentes enim a propositione explicita et immediata abstinere a definitione, quae assensum fidei cogat, quaeque sententiae oppositae notam haereseos inurat, quam quidem definitionem ut caveant, non est opus ut omittant etiam traditionem mediatam doctrinae.

II. Itaque primum in iis cap. 4. verbis « Illam contritionem imperfectam, quae attritio dicitur, quoniam vel ex turpitudinis peccati consideratione vel ex gehennae et poenarum metu communiter concipitur, si voluntatem peccandi excludat, cum spe veniae, declarat non solum non facere hominem hypocritam et magis peccatorem, verum etiam donum Dei esse etc. » exhibetur ea detestatio peccati, quae non sit ex motivo amoris, sed ex inferiori motivo. Sane a) distinguitur ab alia contritione, appellatione *contritionis imperfectae*, eaque alia perfecta dicitur, cuius motivum dicitur esse caritas; ergo contritio imperfecta caret caritate. b) Cum attritio describitur, dicitur concipi ex metu gehennae et poenarum vel ex consideratione turpitudinis peccati: ergo 1) contritio ex metu solum est vera attritio, ergo 2) attritio, ut sit, non requirit aliud praeter haec; nequit enim aliquid essenziale omitti, cum eius notio data opera traditur. c) De ea attritione haec est sermo, quam Lutherus impugnavit; nam definit Concilium attritionem, de qua loquitur, non facere hominem hypocritam et magis peccatorem: porro id est contra Lutherum, qui id non de quavis contritione, sed de quadam asseruit, quam et ipse attritionem vocat et definit quemadmodum Concilium (v. pag. 282.) Atqui attritio, quam Lutherus aiebat facere hominem hypocritam et magis peccatorem, est ea, quae est sine amore, ex solo metu; ergo haec est contritio, quam tuentur Patres contra Lutherum, ideoque ea, de qua nunc loquuntur. d) Attritio, de qua haec est sermo, est ea, de qua in fine capitis statuunt Patres « falso docere quosdam contritionem esse extortam et coactam, non liberam et voluntariam »; utraque enim est ille idem bonus motus, qui ad gratiam

impetrandam in Sacramento disponit, ut ex contextu evidenter liquet: atqui contritio, quam extortam et coactam quidam dicebant, non est nisi ea, quae ex solo motivo timoris aut turpitudinis determinatur absque amore: ergo attritio, de qua Tridentinum loquitur, est detestatio peccati citra motivum amoris.

Hoc posito, secundo sit argumentum 1^m. Contritio, quae definitur initio cap. 4., est contritio generice spectata: patet, quia definitio eius competit tota utrique contritioni perfectae et imperfectae, nulliusque motivi fit mentio, quo una species contritionis ab alia discernitur. Porro haec contritio generice spectata est ea, de qua in praecedenti capite sermo fuit, ait enim: « Contritio, quae primum locum inter *dictos poenitentis actus habet* »; in capite vero tertio tres enumerati sunt poenitentis actus, quorum primus est contritio. Iam vero hi tres actus *dicuntur ibidem partes poenitentiae, partes Sacramenti, quasi materia Sacramenti*, eosque requiri *ad integritatem Sacramenti*. Ergo contritio generice spectata est pars et quasi materia Sacramenti. Igitur et quaevis species contritionis est *pars et quasi materia Sacramenti*; quod enim de genere in recto praedicatur, id omnibus eius speciebus essentialiter competit: dividitur autem contritio in perfectam et imperfectam et haec est attritio, quae non solum *contritio imperfecta*, sed simpliciter dicitur *contritio* (in fine capitis), quod non nisi pro actu, qui sub genere contritionis concipitur, usurpari potest: ergo attritio quoque, quae ex solo metu concipitur, pars est et quasi materia Sacramenti Poenitentiae. Pars ergo et materia Sacramenti in ordine contritionis duplex est, altera nobilior non necessaria, quippe quae etiam ante Sacramentum actu susceptum iustificat, altera sufficiens, quae est attritio. Atqui pars et materia Sacramenti est in suo ordine simul cum aliis partibus et formâ dispositio proxima et sufficiens ad gratiam; quid enim praeter materiam et formam exposcas? ergo.

2.^m Postquam definivit Concilium attritionem esse bonum motum, donum Dei, et Spiritus S. impulsus moventis « quo poenitens adiutus viam sibi ad iustitiam parat », subdit: « et quamvis sine Sacramento Poenitentiae per se ad iustificationem perducere peccatorem nequeat; tamen eum ad Dei gratiam in Sacramento poenitentiae impetrandam disponit ». Iam vero duo hic de attritione docet Concilium, tum quod parat viam ad iustitiam, tum quod disponit ad gratiam impetrandam in Sacramento. Porro vel *disponit proxime* vel *remote*; atqui nequit intelligi dispositio remota: ergo est proxima. Prob. maior. Attritio inter dispositiones ad iustificationem ex opere operantis obtinet penultimum locum: ergo recta est divisio, quod in Sacramento sit vel remota vel proxima, ut non sit locus alteri

divisioni inter magis vel minus remotam. Prob. minor 1) quia etiam sine Sacramento disponit remote, heic autem oppositio instituitur inter id quod sine Sacramento non praestat, et id quod praestat cum Sacramento: 2) quia dispositio remota iam declarata fuerat in verbis praecedentibus: *quo poenitens adiutus viam sibi ad iustitiam parat*: verbis autem sequentibus significatur effectus attritionis praestantior, cum est coniuncta Sacramento; est enim manifesta auresis orationis, ut primo asseratur attritioni quod paret viam ad iustitiam, qui effectus etiam sine Sacramento et ante Sacramentum haberi potest, ut cum quis a timore ad amorem procedit, ab attritione ad contritionem, per quam iustificatur; deinde vero negata attritioni ea praerogativa, quae asserta est contritioni perfectae ut sine Sacramento iustificet, asseritur illi altera in eo posita ut disponat ad gratiam in Sacramento. Atqui dispositio alia a remota non est nisi proxima. Sane 3) non nisi quod proxime et sufficienter disponit, dici merito potest simpliciter *disponere*. Igitur cum alterutra dispositio intelligenda sit et satis evidenter constet verba Concilii intelligi non posse de dispositione remota, restat ut intelligantur de proxima, quae eadem est ac sufficiens.

3.^o Post haec adducto in exemplum timore Ninivitarum (non quidem ad probandum quod timor vel attritio ex eo concepta disponat ad gratiam in Sacramento: quomodo enim timor Ninivitarum id probare possit, cum tunc Sacramentum non exstaret? sed ad probandum quod et poenitentia ex eo timore concepta est actus bonus, Deo acceptus; quare haec nectuntur cum mediate praecedentibus, attritionem esse Dei donum, non facere hypocritam) subdit: « Quamobrem falso quidam calumniantur Catholicos Scriptores, quasi tradiderint Sacramentum Poenitentiae absque bono motu suscipientium gratiam conferre, quod nunquam Ecclesia Dei docuit nec sensit ». Adverte heic non amplius agi de defendenda bonitate timoris et attritionis ex eo conceptae, hoc enim iam actum est in praecedentibus, idque est antecedens, ex quo consequens hoc postremis his verbis deducitur: sed agi de defendenda bonitate dispositionis suscipientium Sacramentum, seu de vindicanda doctrina Catholicorum Scriptorum circa actus requisitos et sufficientes in Sacramento pro gratia recipienda, a calumnia quorundam haereticorum, qui dicebant iuxta Catholicos gratiam conferri in Sacramento absque bono motu poenitentis. Ex istis calumniatoribus primus fuit Lutherus (cf. eius dicta recitata ante Th. XXV.), qui ideo hanc calumniam catholicis inferebat, quia attritionem probabant sine caritate.

Iam vero Concilium ex eo, quod poenitentia ex timore concepta est bonus motus Deoque acceptus, infert immediate absque ullo alio

termino medio, calumniam esse Protestantium quod dicunt docere Catholicos gratiam conferri in Sacramento absque bono motu suscipientium. Infert, inquam, immediate, nectuntur enim haec cum praecedentibus per particulam causalem: *quamobrem*. Atqui huiusmodi immediata illatio supponit e sententia catholica, attritione vel sola existente conferri gratiam Sacramentalem, eamque esse dispositionem proximam in Sacramento. Sane ut argumentatio Concilii sit recta, necesse est ut ad consequentis illius veritatem sufficiat bonitas timoris et attritionis; de hac enim tantum in praecedentibus, ex quibus consequens illud deducitur, sermo fuit; quare patet motum bonum suscipientis de quo Concilium loquitur, esse tantum attritionem ex timore. Iam vero 1) si concilium putasset, praeter attritionem ex metu aut turpitudine peccati, requiri etiam actum amoris, idque proinde Ecclesia Dei cum Scriptoribus catholicis prius sensisset et docuisset, cur ad amoliendam eam calumniam haereticorum, qui propter defectum amoris calumniabantur catholicos, mentionem non facit amoris, ostendens calumniatores esse haereticos, eo quod reapse Ecclesia Scriptoresque Catholici postulaverint et ipsi amorem pro gratia recipienda in Sacramento? Haec certe fuisset efficax et obvia omnibus iis Patribus ratio averruncandae calumniae; nec concipi potest quomodo ea praetermissa sit, cum ageretur de falsa calumnia hac in re removenda. 2) Si reapse amor requiritur in Sacramento, tunc ex eo, quod timor et attritio sint bonus motus, non sequitur quod gratia suscipiatur in Sacramento non absque bono motu, quando attritio sola adsit; tum quia negandum esset suppositum, quod nempe gratia recipiatur, quod tamen supponitur a Concilio; tum quia deficiente necessaria dispositione, poenitens, si sciens id facit, peccat ita accedendo ad Sacramentum: peccatum vero esse plus est quam deesse bonum motum; nec Patres defendentes poenitentem accedere cum bono motu, voluissent concedere ipsum nihilominus peccare, quod satius fuisset Protestantibus.

Itaque in hac argumentatione Patrum ex bonitate attritionis argumentum cum bono motu suscipi gratiam in Sacramento, bonus motus est sola attritio; secus enim consequens latius pateret quam antecedens: supponitur autem attritione vel sola existente conferri gratiam. Igitur docemur eam esse dispositionem sufficientem pro gratia recipienda: ergo.

4.^o Hanc, quam hactenus expressimus, esse Patrum Tridentinorum sententiam, confirmatur evidenter ex consensu eorum Scriptorum et Theologorum, qui seculo XVI florere post actam Sess. XIV. Andreas Vega Theologus Concilii Tridentini L. XIII. De iustificatione c. 24. ait: « Absolutio potest primo iustificare, videlicet cum quis sine

tali dolore (h. e. propter Deum) et cum solo dolore de peccatis propter gehennam vel alia mala evitanda aut propter alias similes causas ad confessionem accedit». Idem docet c. 34.

In editione emendata Decreti Gratiani iussu Gregorii XIII. Romae facta anno 1582. in 2, p. d. 1. De Poenit. ubi titulus; utrum sola cordis contritione et secreta satisfactione absque oris confessione quisque possit Deo satisfacere, cum Glossa haberet: dic quod nec cordis contritione nec oris confessione peccata dimittuntur, sed tantum gratia Dei: superaddita fuere haec verba: « Idest solus Deus peccata dimittit, sed per meritum Christi et ministerium Sacerdotis: atque in poenitente requirit contritionem (aut saltem attritionem, quae deinde virtute clavium fit contritio), confessionem, satisfactionem ». Consentiente ne Pontifice addita fuissent ea verba de attritione distincta a contritione, nisi sententia sufficientiae illius visa fuisset conformis Tridentino decreto?

Antonius Cordubensis, Theologus Conc. Trid. in Quaestionario Theologico L. I. q. 2. opin. 3. ait: « Igitur talis attritus (nempe ut superius declaraverat, qui quocumque genere attritionis dolet quidem, sed imperfecte, se offendisse Deum, puta quia non propter Deum principaliter, sed ex aliquo respectu Dei, praecipue tamen quia peccatum turpe est aut malum contra rectam rationem, aut quia peccatori nocivum est, aut timore Dei heic vel in alia vita punientis et huiusmodi dolet offendisse Deum; ita tamen quod nullus maneat affectus sive complacentia peccati mortalis) utiliter et fructuose confitetur, et virtute Sacramenti iustificatur; nam non potest decretum Tridentini aliter intelligi, cum in ultimis verbis expresse dicat: quod in Sacramento et non extra, illa attritio ad gratiam obtinendam disponit ».

Bartholomeus De Medina in Instructione c. 2. « Quamvis poenitens accedat in peccato cum sola attritione recipit virtute Sacramenti gratiam et remissionem, ut definit Sacrum Conc. Trid. Sess. XIV. cp. 4. »

Henricus Henriquez in Summa de Sac. Poenit. L. I. c. 26. §. 4. « Pro Sacramento Poenitentiae sufficit nota attritio, licet immediate sit ob expressum motivum, quo timet offensam Dei ob poenas inferni »; idemque docet §. 5. citans Sess. XIV. cp. 4. Conc. Trid. concludens: « Penna, ut postea Gallo, Sancius, et alii doctissimi reputarunt ita certum, ut sine temeritate vel errore negari non possit ».

Ita Toletus in Summa secundum completam eius editionem Romae 1650 iuxta manuscriptum ipsius Cardinalis in huius Collegii Romani Bibliotheca exstans, in quo manu ipsius Cardinalis haec addita sunt ad c. 10. L. III. Cum enim dixerit quod tertius casus (ite-

randae confessionis) est cum poenitens habet conscientiam, se non accedere contritum; peccat enim sic accipiendo absolutionem nec valida est confessio, ut dixerat etiam cp. 4. subdit: « quod intelligendum est de attritione, quae est imperfectus dolor praeteriti, et imperfectum propositum futuri; nam si sit vera detestatio culpae praeteritae et propositum cavendi ob poenas inferni, puto quod, licet sciat homo se attritum esse, est vera confessio, et accedentibus hoc modo absolutio dat gratiam; ut colligitur ex Trident. Sess. XIV. cp. 4. » Idemque docet in summam s. Thomae III. p. q. LXXXV. a. 5.

Idem Bellarminus de Poenit. L. II. c. 18. docet, ex Tridentino confirmans, idemque Vasquez in III. p. q. XCII. a. 1. D. 2. De Valentia in III. p. D. VII. q. 8. p. 4. Suarez D. XX. Sect. 1.

Tandem Martinus Alfonsus Vivaldus, scriptor sub finem illius seculi, in opere cui titulus *Candelabrum aureum Ecclesiae sanctae Dei* (quod in Indicem relatum fuit, *donec prodeat emendatum*) De Attritione n. 7. proposita quaestione: utrum sufficiat attritio tantum propter timorem inferni vel foeditatem peccati cum Sacramento Poenitentiae ad remissionem peccatorum, productisque duabus opinionibus, altera plurium id simpliciter affirmantium, altera addentium hanc limitationem, si attritio sit existimata contritio; subdit: « Quae harum opinionum sit vera difficile est iudicare, maxime cum prima adducat pro se Conc. Trid. Sess. XIV. cp. 4. Ubi quasi (si non bene verba perpendantur) videtur determinatum quod sic ». Proponit deinceps suam interpretationem verborum Concilii, diserte monens eam interpretationem esse *novam*. « Pro quo est *ultra omnes* notandum etc. » Notat vero quod Concilium damnare intendit errorem docentium timorem et attritionem esse malam: quod non dicit attritum cum Sacramento gratiam acquirere vel impetrare, sed solum disponere ad impetrandam. Suam interpretationem probat deinde ita: « Sed melius et clarius, meo iudicio, habetur in dicto Conc. Trid. Sess. VI. cp. 6. ubi clare dicitur quod peccatores iustificentur, dum, postquam utiliter a divinae iustitiae timore fuerint concussi, Deum diligere incipiunt. Quid clarius? Unde per dictum caput 6. patet clare intellectus noster ad cp. 4. Sess. XIV, *licet nullus sic explicet.* »

Igitur interpretatio cp. 4. Sess. XIV. adhibito cp. 6. Sess. VI. ad demonstrandam necessitatem amoris in attritione, primum proposita est, labente seculo XVI ab hoc viro. Id porro non contigisset, si ceteri Theologi censuissent requiri e sententia Concilii amorem in Sacramento. Contritionistae Vivaldum sequuntur eiusque argumento maxime innituntur: eorum ergo interpretatio, non nostra, est nova. Nunc audiamus argumenta adversariorum. Proponemus primum ea, quae petunt ex ipso cp. 4. Sess. XIV.